Czyrzykowicz Andr. Augustini: Quaestio theologica de libro vitae.

✠

In Nomine Domini, Amen.

QVÆSTIO THEOLOGICA,

DE

LIBRO VITÆ,

Ex Prima Parte, D. THOMÆ Aquinatis, Doctoris Angelici, Quæst. 24.

A

M. ANDREA AUGUSTINO CZYRZYCKOWICZ,

Collega Majore, S. Theologiæ Professore, Ecclesiarum Collegiatarum, Sancti FLORIANI ad Cracoviam CANONICO, Neosandecensis Primicerio, Contubernij Staringeliani PROVISORE:

IN

Lectorio DD. Theologorum,

Publicæ Disputationi

PROPOSITA.

Anno Domini 1698. *Mense April. Die Horâ*

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO THEOLOGICA, DE LIBRO VITÆ.

UTrùm Detur Liber Vitæ, qui non idem est atq; Prædestinatio, solum respectu Vitæ Prædestinatorum ad gloriam: ex quo aliquis possit deleri.

CONCLUSIO I.

DAtur in mente Divina Liber Vitæ, qui nihil aliud est, quam Notitia Dei, Prima, & Immobilis, quâ Deus cognoscit in particulari eos, quos in Vitam æternam elegit, atq; prædestinavit.

COROLLARIA.

I. *Respectu Vitæ, per quam cognoscitur omnis vita debet, esse Liber Vitæ.*

II. *Certum est, quod Deus habet firmissimam, & Distinctissimam præsentiam, & notitiam omnium, tam Electorum, quàm Reproborum & omnium peccatorum, propter quæ sunt Reprobati, in pœnam æternam.*

III. *Liber Vitæ Æternæ, est beata, & sempiterna, Christi Filij Dei vivi, secundùm Divinitatem Præsentia & Visio, cuius conspectu Æternam gloriosæ Vitæ felicitatem spectatoribus suis largitur Deus.*

IV. *Qui ad tempus sunt in gratia, si in fine moriuntur in peccato, isti non sunt inscripti in Libro Vitæ simpliciter, & secundùm veritatem, sed secundùm Quid.*

V. *Liber Vitæ convenit toti Sanctissimæ Trinitati.*

CONCLUSIO II.

LIber Vitæ, non est idem cum Prædestinatione.

COR-

COROLLARIA.

I. *Liber Vitæ in Deo respectu Prædestinatorum, nullo modo ponendus est, cum Libro Mortis respectu Reproborum.*

II. *Si Creaturæ comparentur ad Deum quatenus egrediantur vt ipse, sic Filius DEI dicitur Liber omnium Rationum viuentium, & Scriptura istius Libri est æterna Dispositio omnium Prædestinatorum.*

III. *Si Creaturæ comparentur ad Deum, quatenus redeunt ad ipsum tanquam ad suum finem supernaturalem: sic Filius DEI dicitur Liber Vitæ, & Scriptura in eo scripta, est Prædestinatio omnium saluandorum.*

IV. *In Libro Vitæ continentur soli Prædestinati, qui sunt præmiandi.*

V. *Liber Vitæ manifestabit opera bona Electorum, & mala Reprobrum.*

CONCLUSIO III.

LIber Vitæ respicit solum Vitam gloriæ Prædestinatorum.

COROLLARIA.

I. *Prædestinatio vt dicit propositum Diuinum miserendi, & dirigendi fideles in vitam æternam, Liber Vitæ congruè vocatur.*

II. *Ad Vitam æternam possidendam requiritur Præscientia meritorum, quæ Libro Vitæ continentur.*

III. *Liber Vitæ continet omnes homines; Notitia autem Prædestinatorum, quæ vocatur Liber Vitæ, continet paucos.*

IV. *Reprobi in Libro Vitæ non videbunt per Scientiam Positiuam suam Damnationem, seu mortem, sed Priuatiuè cognoscent se non esse prædestinatos.*

V. *Quamuis Deus habeat Præscientiam Nominum Reproborum, illa tamen Præscientia non est dicenda Liber Mortis, cùm in illa non est scripta Positiuè mors, nec illud est Exemplar.*

CONCLUSIO IV.

SCripti in Libro Vitæ, simpliciter, indè non possunt deleri.

COROLLARIA.

I. *Prædestinati possunt cadere in peccatum, non tamen possunt deleri simpliciter de Libro Vitæ.*

II. *Reprobi amittendo gratiam DEI, non sunt scripti in Libro Vitæ, nisi ad tempus, siue secundùm præsentem iustitiam.*

III. *Necesse est in iudicio aperire Libros Conscientiarum, & Librum Vitæ.*

IV. *In Iudicio aperietur Liber Vitæ omnibus bonis, vt in eo clarè cognoscant, & legant se esse Prædestinatos per claram DEI visionem.*

V. *Mali non poterunt videre hunc Librum Vitæ, ex hoc ipso, quia non sunt capaces Visionis Beatificæ.*

Ad Maiorem DEI Gloriam cedat.

Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustris, & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. CHRISTOPHORI

SOWINSKI,

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum, SS. Omnium Crac. PRÆPOSITI, ad S. FLORIANUM DECANI, CANÇELLARII Posnaniensis, CUSTODIS Pilecensis, CURATI Prosovicensis, S. R. M. SECRETARII, Contubernij Philosophorum PROVISORIS, Studij Almæ Vniversitatis Cracoviensis, GENERALIS, ac VIGILANTISSIMI

RECTORIS.

~~Czyrzyczkowicz Andr. Augustin~~

~~Quaestio theologica de libero arbitrio~~